



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

ARNHEMIENSE COLLEGIUM IN
Geldria & d. Ultraiectina.

Collegium Canonorum Tielense (est
autem Tiela opidum Geldriae ad Va-
halim Fluum situm) *Adelboldus Episcopus* ex-
citavit, quod inde postea Arnhemium Geldriae
Metropolim est translatum.

CAPUT XXI.

S. LAMBERTI COLLEGIUM CA-
thedrale Leodiense.

Ilustre istud collegium originem suam
debet *S. Huberto*, pro urbis Leodiensis E-
piscopo, utpotè qui corpus *S. Lamberti* præ-
decessoris sui anno 709. Traiecto Leodium,
vna cum sede Episcopali, transtulit: ut in vi-
ta eiusdem *S. Huberti* legitur. *Sigebertus Gē-*
blacensis & alij id referunt ad annum proxi-
mè sequentem. Ut ut sit, *S. Hubertus* non mo-
dò collegij istius, sed urbis Leodiensis condi-
tor fuit. Collegium & Urbem mirificè po-
stea auxit *Notgerus Episcopus*, ut alter quasi
parens utriusque meritò habeatur & prædica-
tur. Qua de re sic legitur, in eiusdem *Notgeri*
vita, quam ex tabula membranæ ad *D. Ioan-*
nis Euangelistæ Leodij pendente descriptam
in suo Itinerario Belgico *Abrahamus Orte-*
lius edidit: *Notgerus Monasterium B. Lamberti-*

longè in melius quam antea fuerat immutauit. Ecclesia enim quam Beatus Hubertus edificauit, ad lapsum declinauerat. Hac diruta templum sexaginta Canoniorum, iuxta magnificentiam dilatati cordis sui exaltauit, ornamentis ditioribus decorauit, claustrum & domorum edificia renouauit. In Crucibus aureis, quas Notgerus in dicta Ecclesia Sancti Lamberti etiam fecit, scriptum est hoc metrum:

Certa salus vitæ Notgerum saluet vbique.

Notgeri successor Baldricus, templum S. Lamberti ab eodem Notgero structum, præsentem Heriberto, Coloniensi Archiepiscopo anno 1051. V. Kalendas Nouembris dedicauit.

Sunt autem in vrbe Leodiensi octo illustria Canoniorum Collegia, videlicet Sancti Lamberti, S. Petri Martini, S. Pauli, S. Crucis, S. Ioannis, S. Dionysij, & S. Bartholomæi: de quibus suis infra locis dicetur.

Ceterum memorabile est, quod rerum Leodiensium scriptores tradunt, vno eodemque tempore, cum nimirum Innocentius II. Papa Leodium venisset, Sancto Bernardo Abbate Clareuallensi comitante, resedisse in Basilica Sancti Lamberti, Regum filios nouè, Ducum quatuordecim, Comitum triginta, inferioris ordinis nobilium Canonicos septem, omnes numero sexaginta: quorum nomina leguntur in tabula ad latus aræ summæ in templo Diui Lamberti suspensa.

S. PETRI COLLEGIUM IN VRBE
Leodiensi.

Sanctus Hubertus Episcop. Leodiensis, an. 714.
cōstruxit & redditibus dotavit monasterium S.
Petri in Leodio. Ita legitur in quibusdam manu-
scrip. Chronici Sigebertini Exemplaribus.
Quod quidem Sancti Petri Monasterium cū
à Normannis esset destructum, Richarius, Epi-
scopus Leodiensis circa annum Christi 935.
instauravit, & triginta illic Canonicos consti-
tuit: Vt Aegidius Bucherius Societatis Iesu
Theologus in suo Chronico tradit.

CAPVT XXII.

S. SALVATORIS HARLEBECA-
num Collegium in Flandria.

Harlebeca celebre Flandriæ municipi-
um, olim opidū insigne ad Lifam Flu-
uium, distat Cortraco milliaris vnus inter-
uallo, habetq; vetus Canonicoꝝ XII. colle-
giū præter Præpositum qui est XIII. Spectan-
tur eo in templo ante chorum tria, veterum
Comitum Flandriæ, sepulchra humilibus fa-
xis obtecta. Fuit enim Harlebeca pri-
morum Flandriæ Comitum
sedes ac Domicilium.